





16  
IO. CHRIST. ESCHENBACH,

PROF. IVR. ET ACADEMIAE PRORECTOR,

1786/2.

DIES FESTOS  
NATIVITATEM  
SALVATORIS MVNDI  
IN MEMORIAM REVOCANTES  
PIE CELEBRANDOS

COMMENDAT.

IVNCTA EST

DE POENA BIGAMIAE  
COMMENTATIO.




ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

DE CHRISTO RECHENBACH  
SOTERIIS TRACTATIIS  
METATIVITATI  
GASTRORUM IN INDIA  
ETIAM RECOGNITIS  
DE CHREBRANDUS

DE PONENTIIGAMIAE  
COMMUNICATIVITATIBUS

ALBONIUS  
RIMA LIMA ELEPHANTIS



DE  
POENA BIGAMIAE.



§. I.

**Q**uod iam multi antea conquesti sunt, articulum 121.  
C. C. C. obscuritate dictionis laborare, haud ita  
pridem repetit BOEHMER ad h. a. §. 5. compe-  
tens, si quis inquam, in controversiis iuris criminalis iudex, qui illam  
enigmati propiorem quam normae esse dolet. Mirum itaque ne-  
minim esse potest, nondum compositam esse super poena bigamiae  
litem, sed potius Doctorum de genuino huius legis sensu perdurare  
disceptationes, easdemque in foro etiam varios adhuc effectus prodere.  
Periculum iam facere constitui, dubia, quae hanc doctrinam pre-  
munt, denuo sub examen vocare, persuasus, textui, licet a vitio  
obscuritatis defendi nequeat, aliis tamen argumentis subueniri posse.

A 2

§. 2.

§. 2.

Verba ipsa huius articuli adscribere placet, quum reliqua non  
fatis commode intelligantur, nisi contextum dictioris cum argumentis  
compareris. Item so eyn Eymann, inquit Imperator in cit. art. eyn  
ander Weib, oder eyn Ehereib eyn andern Mann, inn gestalt der  
heyligen Ehe bey Leben der ersten Ehegesellen nimpt, welliche iibel-  
that dann auch eyn Ehbruch, vnd grösser dann das selbig Laſter  
ist; vnd wievol die Keyserlichen Recht auff sollich iobelthat keyn  
ſtroff am leben ſetzen: so wollen wir doch, welcher folchs laſters  
betrüglicher weiß, mit wiſſen vnd willen ursach gibt vnd volnbring-  
get, das die nit weniger, dann die Ehebrüchigen peinlich geſtrafft  
werden ſollen.

§. 3.

Interpretes iuriſ criminaliſ in duas diuergere ſententias, et alios  
poenam capitalem alios arbitriariam ex hac ſanctione deriuare, conſtat.  
Vtiusque ſententiae deſenſores recenſere ſuperfluum duco: ſi quis  
ſit, qui argumenta in utramque partem hucusque allegata noſſe cupiat,  
duos adeat ICtos, qui inter reliquos eminent, cunctaque, quae huic  
pertinent, collecta et curate diſpoſita exhibent, BOEHMERUM  
ſelicet l.c. et SCHOTTIVM in diff. de poena bigamiae ordinaria,  
ex quibus ille poenam arbitriariam hic capitalem tuerit.

§. 4.

Rationibus, quae hinc inde proferuntur, iterata meditatione  
trutinatis, praeualere exſtimo, quae poenam arbitriariam ſuadent,  
adeoque in caſtra BOEHMERI tranſire nullus dubito. Videant alii,  
an

5

an his argumentis, quae nunc singula exponant, eodem modo con-  
vincantur.

I. Primum merito locum occupat, quod ex generali voce,  
*peinlich*, in lege obvia derivatur. Hanc non praecise poenam mortis  
designare, sed praeter capitalem etiam poenam corporis afflictionem,  
infamiae, publicationis bonorum et relegationis comprehendere  
dubio caret. Comprobant id articuli 1. 104. 113. 218. aliquae, nec  
non loquitiones analogicae *peinliches Gericht*, *peinliche Sachen* caet.  
Recte itaque praeumptionem ab vsu loquendi recepto petitam allegant,  
qui in hac significatione visitata subsistunt. Contra ea qui vocem,  
*peinlich*, de poena capitinis sola interpretantur, nullum hucusque  
Nemeseos Carolinae locum laudarunt, in quo poena mortis, reliquis  
criminalibus exclusis, hoc verbo insignita sit. Vnde insolitam hanc  
et nullius textus auctoritate suffultam interpretationem consuetae et  
ipsa legi saepius probatae praferentibus merito obiicitur, quod hic  
interpretandi modus nec regulis hermeneuticis conueniat, nec in  
quaestione, a cuius decisione vita hominum pendet, locum sibi vin-  
dicare possit.

II. Proiectum Noricum in comitiis anni 1521. oblatum, et,  
quae cum illo conspirat, Constitutio Criminalis Bambergensis art. 146.  
Poenae capitali haud fauent. Regulariter enim infamiam tantum et  
publicationem dimidiae partis bonorum, cum carcere vel numellis  
vel relegatione vel fustigatione coniungendas, irrogare iubent; mortis  
contra poenam expresse improbant, atque ab eadem, licet quorundam  
locorum consuetudine iam recepta sit et bigania grauioribus annu-  
merari mereatur delictis, abstinentendum esse volunt, quia Ius Romanum



eandem ignorat; rarissimum solummodo casum excipientes, in quo circumstantiae particulares delictum eousque aggraunt, ut poenam capitis Iuri Romano non aduersari, ICTi testentur. Quum in locum huius effati, omnes fere poenas criminales enumerant, in Constitutione Carolina generale sanctum poenae criminalis substitutatur, probabile videtur, hanc immutationem proiecti non eam ob caussam placuisse, vt sola mortis poena obtineret, sed vt iudicis arbitrio relinqueretur, pro facti qualitate conuenientem poenam eligere. Quodsi enim capitalem poenam in locum arbitriae succedere voluissent: cur, queso, nou iisdem verbis, quae in aliis articulis adhibentur, vñ essent revisores.

III. Rem confidere videtur argumentum ex art. 104. desumitum.  
*In illo enim Imperator generalem sibi praescripsit regulam: inn fallen, darumb oder derselben gleichen unfer Keyserlich Recht nit setzen oder zulassen, jemandt zum todt zu straffen, haben wir in dieser unfer und des Reichs Ordnung auch keinerley todtschaff gesetzt.*  
 Ab hac autem regula recessisset Imperator, si bigamos capite plebi iussisset, quum semet ipso fatente Ius Romanum poenam mortis ignoraret: antinomia potius adesset, omne hermeneuticum auxilium respuens. E contrario plana omnia sunt et optime cohaerent, si poena arbitria subintelligitur: fatetur Imperator, bigamiam adulterio gravius delictum esse et capitale supplicium mereri; attamen quia Iuris Romani auctoritate mortis poena defendi non poterat, eandem sibi haud permittam opinatur, et in generali placito poenae criminalis subsistit. Interpretationem itaque, cuius ope antinomia euidens cuitatur, omni iure praefendam censeo.

Interim

7

Attamen hoc argumentum a quibusdam obiectionibus adhuc liberandum est, quae dubium mouere possent. Obiiciunt 1. suppositum falsum esse, quoniam biganum etiam apud Romanos nonnumquam, quoties scilicet adulterium contineret, a maribus saltu morte expiaretur. Ast ab hac explicacione Novellae 134. c. 10. quamvis omnibus, quoquot euolu, Doctoribus placeat, discedere et Imperatori adstipulari non dubito, cuius asserti rationes infra exponam. Sit interim, quod vulgaris doctrina palmarum mereatur, tunc sane Imperator ex opinione sua, licet erronea, minime ex aliorum placitis diiudicandus est. — Obiiciunt 2. verbum, *peinlich*, omni casu tamen poenam capitalem comprehendere. Sed nec ego, dum arbitriam defendo, poenam capitalem penitus excludo, illam potius, saltu ex mente reuisorum Constitutionis Criminalis, in iis casibus locum inuenire largior, in quibus Constitutio Bambergensis et Proieclum Noricum eam admittebant. Sufficit, quod in regula exulet, et nonnisi circumstantiae aggrauantes ita comparatae, ut nec iuri Romano aduersetur, eam suadere possint. — Tandem 3. obiiciunt, Imperatorem hanc regulam in art. 104. propositam in art. 159. et 160. deseruisse, furti quibusdam speciebus mortis poenam statuens, licet Iustinianus in Nov. 134. c. 13. fures mori prohibuerit. Et speciosa quidem est haec obiectio, vim argumenti, nisi eliminari posset, omnino infringens, quum, qui semel hanc regulam neglexerit, pluries quoque ab ea recedere non dubaret: sed instituta legum comparatione hoc dubium illico evanescit. Nouella enim citata non omnes fures morte liberat, sed eos tantum, qui occulte et sine armis delinquunt, expresse contra excipit, qui violenter aggreduntur, aut cum armis aut sine armis, in domibus aut itineribus.

Tantum

Tantum itaque abest, ut ultimum supplicium ex art. 159. furto qualificato imminens dispositioni hujus Nouellae contraria sit, ut potius cum eadem apprime conueniat. Nec articulo 160. sua deest auctoritas; eadem enim saeclo reperitur in texu II. F. 27. §. 8., quem sub denominatione der *Keyserlichen Rechte* continet, nemo dubitabit.

IV. Ipsa Constitutio Criminalis Carolina aliud adhuc argumentum suppeditat in art. 198., vbi post formulas sententiarum, quae peinliche leibstraff, die nit zum todt gesprochen werden, inferunt, adiicitur: *Merk, so eyn übelthäter zusamt eyner auffgelegten leibstraff jemandts sein gut wider zu keren oder aber etwas von seinen eygen güttern zu geben verwirkt, wie deshalb hieuor in etlichen straffen, nemlich — — — die böser bestett-nuß zwiefacher Ehe betreffendt, am cxxj Artikel, anfahendt: Item so eyn Ehemann eyn ander Weib etc. gesetzt ist, caet.* Diserte bigamia ad delicta refertur, in quibus poenae corporis afflictione publicatio bonorum iungitur. Omni exceptione maius hoc argumentum foret, nisi culpa reuisorum adhuc passus articuli 121. allegaretur, quem ipsi antea deleuerant, obliiti, articulum 198. nunc pariter immutacione indigere: sed ipsa haec incuria demonstrare videtur, eos non tam de substitutione poenae capitalis in locum arbitriae, quam de substitutione verborum generalium in locum sanctionum specialium cogitasse.

V. Poenam criminalem lex non tantum ei minatur, qui bigamiam principaliter committit, (*voln bringet,*) sed etiam, qui ad eandem concurrit, (*ursach giebt*). Qui itaque legem praescire de poena

89

poena capitum interpretantur, defendant simul necesse est, socios etiam bigamorum eadem mortis poena afficiendos esse. Quia tamen omnes in diversam abeant sententiam, concedere oportebit, denominatione der peinlichen Straffe etiam non capitalem hoc loco designari.

VI. Quodsi argumentis adminiculantibus adhuc opus sit, optimo iure ad regulam in l. 42. D. de poen. et l. 155. D. de reg. iur. obuiam, quae in dubio benignorem interpretationem sequi iubet, prouocare licebit. Adesse hic casum dubiae interpretationis, omnes fere vtriusque sententiae defensores uno quasi ore fatentur.

VII. Ne quid praetermittam, addendum est, in sanctionibus Concilii Tridentini, Sessione 24., quae triginta circiter annos post publicationem Constitutionis Criminalis Carolinae habita est, bigamiae quoque mentionem fieri, ita tamen, ut sanctio ista delicto, quod lex Imperii paucis annis sub poena ultimi supplicii prohibuerat, parum conueniat. En ipsa huius Synodi statuta: *Can. II.* Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit. *Caput VII.* Multi sunt, qui vagantur, et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam et plerunque plures illa viuente diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant: magistratus etiam seculares hortatur, ut eos severè coereant. Parochi autem præcipit, ne illorum matrimonii intersint, nisi prius diligentem

B

inqui-

*inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam  
id faciendi obtinuerint.*

VIII. Si a iure positivo discedas, aequitati et sanae rationi conueniens videtur, et plerisque recentioribus iuris criminalis reformatoribus probatum est axiomta, ut poenae capitales in iis delictis exulent, quibus securitas publica immediate haud turbatur. **MALBLANC** *Gesch. der peint. Ger. Ordn.* §. 60. Ad hoc delictorum genus etiam bigamiam pertinere, iam obseruat **EISENHART** in den Erzähl. von bes. Rechtshändeln Part. IV. p. 525, et testimonium eximium praebet der Entwurf eines allg. Gesetzb. für die Preuss. Staaten, Part. I. Sect. III. Tit. 8. §. 858—60., qui bigamiam poena ergastuli aliquot annorum coercendam praecipit. Accedit, quod experientia teste hoc delictum potissimum a personis vilioribus committatur, quibus iniuria personae vel deserta vel iterum deseruenda facta ut plurimum haud adeo grauis est. Quidam itaque haec principia generalia in explicandis legibus positivis obscuris, quantum fieri potest, sequamur.

### §. 5.

Duo omisi argumenta ab aliis in subsidium vocari solita, quamvis vim quandam probandi inesse haud credam: mentio interim illorum facienda est, ne per incuriam neglecta habeantur.

I. Primum comparationi cum adulterio innititur, quam lex ipsa suppeditat. Alii ex verbis: *nicht weniger dann die Ehebrüche gen* concludunt, eandem bigamiae et adulterii poenam esse: alii ob

ob verba: welche Uebelthat auch ein Ehebruch und grösser, dann dasselbe Laster ist, in bigamia maiorem poenam, quam quae adulterio statuta est, defendant. Priorem sententiam meam facere ambiго, quum bigamia expresse maius delictum dicatur, et maiori delicto, caeteris paribus, poena minoris delicti haud conueniat: licet enim ipse de veritate suppositi dubitem, in explicatione legis tamen a ratione ipsi inserta recedere nefas duco. Posteriori asserto itaque lubens quidem assentior, sed principia deesse video, proportionem utriusque delicti exacte determinantia; his autem deficienibus poenam bigamiae ex indole poenae adulterii definire despero.

II. Alterum in l. 11. §. 12. D. ad L. Iul. de adult., quae in specie proposita mulierem bigamiam pro admitti criminis qualitate puniendam praecipit, pro tuenda poena arbitria quærunt. Quoniam vero haec loquutio commode alium quoque sensum admittit, et, qui poenae arbitriae significatum inesse credunt, hanc legem cum §. 4. I. de publ. iud. et l. 30. §. 1. C. ad L. Iul. de adult. vix conciliabunt, ab hoc argumento non satis expedito absinere malui.

### §. 6.

Examinanda nunc veniunt argumenta eorum, qui poenam gladii praeferunt: et rationes reddendas sunt, ob quas calculum haud adiiciam.

I. Obiter iam tetigi argumentum, quod et aduersarii ex voce *peinlich* deducere solent. Ea alii imbuti videntur opinione, defensores



fores poenae arbitriae poenam capitalem omnino negare, toti enim in eo occupati videntur, vt poenam mortis ad species poenarum criminalium referendam esse demonstrant. Sed supra iam monui, poenam capitalem ex mente reuisorum Constitutionis Criminalis Carolinae neutiquam penitus exclusam videri: eadem potius ratione peccare opinor, qui poenam capitum sub denominatione generali poenarum criminalium non comprehendunt, quam quia eandem solam hoc loco indigitari affirmant. Alii interpretationem restrictiuam reliquorum argumentorum ope stabilitam esse sibi persuadent; ait haec fundamento non satis firmo inniti, breuibus ostendam; adeoque sublatu principio consequentiam quoque corruec liquet.

II. Alterum argumentum antithesi: *wiewohl die Kayserlichen Rechte keine Strafe am Leben setzen: so wollen wir doch etc. superstructum est*, quae tolerabilem sensum haud recipere dicitur, nisi vox subsequens *peinlich* poenam capitalem denotet. Sed haec antithesis commode explicari potest, vt cum poena arbitria conveniat: supplex modo, quae in contextu desunt, ad analogiam projecti Norici hac paraphrasi:

*Und wiewohl die Kayserlichen Rechte auf solche Uebelthat keine Strafe am Leben setzen; mithin wir auch keine Todesstrafe verordnen mögen: so wollen wir doch — — — daß die nicht weniger und gelinder a) dann die Ehebrüchigen, sondern peinlich bestraft werden sollen.*

Nulla sane interpretatione restrictiuva vocis *peinlich* opus est, sed omnia sic optime tam inter se, quam cum art. 104. concordant.

III.

III. Provocant porro ad comparationem cum adulterio in ipsa lege institutam, et concludunt, quod si adulterium mortis poena dignum sit, multo magis bigamia gladii poenam mereatur, quam non modo adulterium sit cum intentione seria illud continuandi coniunctum, sed et falsum, desertionem malitiosam prioris coniugis, et abusum hierologiae comites haeat. Verum nec supposita huius argumenti concedi possunt, nec illud ad doctrinam communem satis quadrat.

Concedamus tantisper, Ius Romanum, quod art. 120. in definienda poena adulterii sequi iubet, maribus, ut vulgo perhibetur, poenam gladii, mulieribus contra verberationem et detrusionem in monasterium, salvo iure mariti eam, si velit, intra biennium recipiendi dictitare: qualis quoquo erit consequentia, si bigamiam poena maiori adficiendam censeas? Masculi quidem rotæ poenam non efflagent: mulieres contra vitae dispendium hand incurvant, quam in locum verberationis et detrusionis in monasterium plures poenae grauiores non tamen capitales succedere queant, nec coniugi innocentia ins coniugem, si ita placeat, vindicandi admiri debet. In omnia alia vero abeunt, qui hoc argumento vtuntur: mares non *maiori*, sed *eadem* qua adulteros, poena dignos iudicant: foeminas contra, nullo huius proportionis habito respectu, idem poenæ gladii subiiciunt. Perperam itaque postulant, ut alii argumento fidem habeant, quod ipsi derelinquent.

At supra iam monui, me ab explicatione vulgo recepta Nouel. lae 134. c. 10. recedere. Scilicet penitus hanc legem intuenti

B 3

per-

perspectum est, dispositionem Iustiniani doctrinam interpretum neu-  
 tiquam confirmare. Si quando vero, inquit Imperator, adulterii  
 crimen probetur, iubemus illas poenas peccantibus inferri, quas  
 Constantinus diuae memoriae disposuit: et illis similibus subiicien-  
 dis poenis, qui medii ministri huiusmodi impio criminis facti sunt.  
 Nulla hic masculorum et foeminarum distinctio: omnes potius  
 peccantes, immo et medii ministri iisdem poenis lege Constantiniæa  
 statutis æquali modo subiiciuntur. Adiicitur quidem: adulteram  
 vero mulierem competentibus poenis b) subactam in monasterium  
 mitti (iubemus,) caet. sed verba legis docent, inclusionem in mo-  
 nasterium tunc demum accedere, postquam competentibus ex lege  
 Constantini poenis subacta est. Tantum itaque abest, ut Iustinianus  
 vxori adulterae poenam legis Constantiniæa remiserit, ut potius  
 inclusionem in monasterio his poenis praecedentibus jungat. Qua-  
 lis fuerit haec poena per Nouellam 134. in usum reuocata non  
 constat, quia lex Constantini nec in codice Iustinianeo nec in  
 Theodosiano reperitur. Allegant quidem vulgo l. 30. §. 1. C. ad  
 L. Iul. de adult. sed verba finalia emblemata Tribonianii esse, a  
 WISSENBACHIO licet negleguntur, alii iam obseruarunt, THO-  
 MASIVS de crim. bigam. §. 66. BROVWER de iur. connub.  
 Lib. II. Tit. 39. §. 38. quod non modo collatio cum l. 2. C.  
 Theod. eod. comprobatur; et contextus docere videtur e): sed et inde  
 recte concluditur, quod alias ob caussam poena ista legis Constan-  
 tinianæ capitalis esse haud potuerit. Nimirum non solum ipsa  
 Nov. 134. poenam non capitalem fuisse declarat, quum mulier gla-  
 dio interempta in monasterium mitti et marito reddi nequeat: verum  
 etiam Leo Imp. in Nov. 32. testatur, olim quidem adulterium  
 morte

morte punitum, posterioribus autem mitiorem sententiam proferre visum esse d).

Recte itaque, me iudice, in art. 121. C. C. C. supponitur, ius Romanam nouissimum, quod legibus Institutionum et Codicis derogare constat, neque directe, neque per indirectum in iis casibus, qui simul adulterium continent, bigamis poenam capitis irrogare: adeoque comparatio cum adulterio pro stabiliendo ultimo supplicio frustra allegatur.

Sit interim, quod Nov. 134. c. 10. et art. 120. C. C. C. aliam adhuc interpretationem admittant: tunc sane, qui hoc argumento vti non dubitant, oblii sunt, poenam illam Iuris Romani post Reform. polit. Imp. de 1548. Tit. 25. §. 2. (cum qua altera de 1577. Tit. 26. §. 2. exakte conuenit) cessare, et adulterio poenam tantum corporis afflictuam vel pecuniam Cernitlich, an Leib oder Gut nach Gestalt und Gelegenheit der Personen und der Verwirkung, imminere. Quodsi itaque comparatione instituta ab adulterio ad bigamiam consequentiam ducere licet, ea per citam Imperii legem mirum quantum immunitata est, hac dispositione benigniori loco iuris Romani per eam antiquati iam sola tam in adulterio quam in bigamia in censum veniente.

IV. Succedit argumentum ab usu fori petitum, quem per aliquot saecula constantem praedicit LEYSER Sp. 587. m. 4. et post illum plures praedicarunt: verum et huic argumento cedere non possum. Rationes, cur illud generaliter parum pretii habere statuam, in progr. de expensis criminalibus stricte sic dictis, §. 15.

16. 17. uberius proposui, easque hic repetere nolo: pauca solummodo addo ad bigamiam specialiter pertinentia. Primum **LEYSERV**s ipse dissideri nequit, dari casus, in quibus *maior pars collegii alteram superat*, et ut *ultimo supplicium polygamis remittatur*, per vincit: adeoque *vsum poenae capitalis non sine exceptione esse* ipse non negat, quod pariter testatur **KRESS** ad h. a. §. 5. not. I. Reclius alii ea loca excipiunt, ubi adulteri mitioni poena dimittuntur, cuius asserti tres testes euocat **BOEHMER** ad *Carpz.* Qu. 66. Obs. 2, in fine, et plures sine dubio allegari possent, si decisio ex numero testimoniorum penderet. In eo tamen peccant, quod dispositiones Saxoniae Eleitoralis, Ducatus Luneburgici, aliarumque quarundam provinciarum regulae loco collocent, ius commune contra, ex *Reform. pol. cit.* indubie leuiorem adulterii poenam statuens, tanquam exceptionem subiungant, quin hoc regulam illud exceptionem faciat. Tandem vero et illi, qui *CARPZOVI* auctoritatem sequuntur, saepissime a poena capitali recedunt, in vitiis benedictionis sacerdotalis, lenitissimis licet, in incertitudine copulae carnalis et prioris matrimonii, sola inquisiti confessione haud probandorum, et in aliis huius generis effatis subterfugia legi non agnita quaerentes. Quin *vsum fori anteriori vsum fori contrarium posse* riorem iam opponit **QVISTORP.** §. 47*i.*

V. Agmen tandem claudit argumentum I<sup>cti</sup>s Saxonibus familiare, qui testimonium Augusti Elektoris in Constitutione apud *CARPZOVI* in *iurispr. for. Part. IV. Conf. 20.* reperienda in suas partes vocant. At licet testimonium illud apparetne fauere: interpretationem authenticam tamen non continet, sed opinionem I<sup>ctorum</sup>,

Ictorum, quorum opera Elector in concinnandis his constitutio-  
nibus usus est. Hi vero errare potuerunt, sicut alii; et reuera er-  
rorem errarunt, multis hominibus funestum, vti ex iis, quae hucus-  
bue disputauit, abunde eluet.

- a) Ita particulam *nicht weniger explicandam* existimo. Quamvis inter-  
rim a me dissentias, reliqua tamen immutacione non indigent.
- b) Constantino quidem integrum legem adhuc ascribunt BOEHMER  
*ad b. a. §. 6.* PÜTTMANN *in elem. iur. crim.* §. 612. NOFACKER  
*in elem. iur. civ.* §. 696, aliisque. Quam autem rationes haud adie-  
cerint, ob quas eandem Constantino rursus viudicare non dubitate-  
rint, sola tantorum virorum auctoritas haud sufficiens videtur,  
vt rationum defectum suppleat.
- c) Ita loco *vulneribus*, quod vulgata habet, cum HOMBERGIO legen-  
dum est GRIBNER *de interc. coni. in del. carnis, in primis biga-  
mia, pos. 13.* Verberationem, quam ex voce *vulneribus* excuspsit  
epitomator in Autb, sed hodie C. ad L. Int. de adult. multi tam  
reiecerunt.
- d) Nisi abscissionem surrogatam esse perhibet: quum vero hoc poenae  
genus plane insolitum sit, et cum Nov. 134. cap. 13. haud conciliari  
possit, vitium scripturae subesse suspicor.

### §. 7.

Stabilita hoc modo poena arbitria iam dispiciendum est, qui-  
bus potissimum principiis eiusdem determinatio regatur. Exactam  
quidem cuiuslibet delicti gradus et poenae eidem conuenientis des-  
initionem nemo exspectabit, cui compertum est, in omnibus poenis  
arbitrii diuersam facti et personarum qualitatem diuersam quoque

C

decisi-

decorative flourish

decisionem poscere , nec tantum esse poenarum quan' am facti diuer-  
sitatem : quaedam interim regulae generaliores etiam hic suppeditari  
possunt , in applicatione huius legis poenalis obseruandae.


Primum quidem dubio caret , solutam personam , quae cum  
bigamo matrimonium init , cum hoc aequalem poenam non subire.  
Ab omni potius poena immunis iudicanda est , si ignoranter eius-  
modi coniugium contraxit . Neque poenam mereri videtur , si  
perfecto iam matrimonio secundo prioris notitiam accipiat , illud-  
que adhuc continuet : separatio enim , quam nonnulli ad impunita-  
tem consequendam requirunt , nulla lege praecipitur , atque eo minus  
exigi potest , quum sine denunciatione coniugis fieri nequeat , ad  
quam nullo iure obligatur , et sibi ipsi saepius maximam iniuriam  
afferret , quum multis modis euenire possit , vt non obstante biga-  
miae crimine secundum matrimonium subsistat . Eadem sententiam  
tueri non dubito , licet culpa accedat : versatur enim in actu licto ,  
a quo obligatio quaevis intuitu tertii aliena est . Contra ea , qui  
sciens bigamo se iungit , delicti socius est , poena tamen minori  
dignus , nisi ipse alterum fraudulenter induxerit .

Aliter porro puniendus est , qui dolose , aliter qui culpose ad  
secunda vota prouolat : nec obstat , quod antea socium delicti culpa  
peccantem a poena exemum pronunciauerim , cum coniux omnino  
ad diligentiam et culpam coniugi praestandam obligetur , tertius  
non aequa . Poena autem bigamiae culposae pro gradu culpae dif-  
fert : nunquam tamen poenam bigamiae dolosae exaequat . Si quis  
casualiter hoc delictum incurrat , errore excusabili deceptus , iustum  
veniam impetrabit .

Tandem

Tandem bigamia dolosa variis distinguitur gradibus. Illa simul continere potest I. adulterium, II. desertionem prioris coniugis, III. iniuriam eidem, praeter adulterium et desertionem, illatam, IV. iniuriam erga liberos primi thori commissam, V. falsum, VI. iniuriam in secundam coniugem, et VII. abusum ritus ecclesiastici. Sed haec omnia non semper eodem modo se habent. Adulterium vix attenditur, si prior coniux primus fidem violauit, sed saltem neglectus formalium, quae in diuortio requiruntur, in censum venit: non modo desertor, sed etiam desertus bigamiam committit: non semper priori coniugi et liberis antea procreatis, si qui sint, bigamia damnum insert, sed nonnunquam forsitan haec rerum immutatio illis grata erit atque proficia: solum tandem abusum ritus ecclesiastici durior poena haud insequitur, et abusus dici nequit, si secundum perduret matrimonium. E contrario autem quandoque aggrauantes etiam aderunt circumstantiae, poenam augentes. Iniuria coniugi illata vitae et sanitati tam mentis quam corporis, immo et bonis illius damnum irreparabile inferre, falsum commissum ad insignioris nequitiae specimina pertinere, et bigamia medium esse potest, aliud delictum perficiendi. Haec omnia autem in eligenda poena probe consideranda esse, quis est, qui nesciat a).

- a) In determinanda hac poena arbitratia quoque comparationem cum poena adulterii parum utilitatis habere existimo. Neque enim cum iis sentio, qui bigamiam semper adulterio grauius delictum esse defendant, quum in concinnanda Constitutione Criminali Carolina violationis sacramenti, ex doctrina ecclesiae Catholicae matrimonio inhaerentis, rationem habitam esse, vero videatur simile; neque cura



**GONNIO** in *commentatione vom Unterschied der Carolinischen und Brandenburgischen, auch Bambergischen P. H. G. O. in Bestrafung der zweifachen Ehe*, §. 12. affirmare ausim, in terris Protestantium bigamiam semper adulterio leuius crimen esse. Me enim iudice vtrumque failit, et potius pro varietate circumstantiarum iudicium variat.

### §. 8.

Superest mantissa aliquot obseruationum, quas hic breuibus adiungere placet,

I. Adhibitionem parochi incompetentis, omissionem proclamationis aliaque vitia hierologiae poenam mitigare tradunt **LEYSER** *Sp. cit. m. 20. ENGAV Lib. I. §. 210. CARRACH Dec. 89. MEISTER Dec. 19.* Sed distinguendum esse censeo, vtrum hoc vitium matrimonium ipso iure nullum reddat, nec ne. Priori casu bigamia non adest, quippe quae duplex coniugium requirit: posteriori casu vero factum illicitum accedens bigamiae poenam non mitigat, sed aggrauat.

II. Quicquid dicat **BOEHMER** *ad h. a. §. 9.* mitior poena haud obtinet, licet bigamus ad priorem sponsam, praetextu simularum conscientiae, reuertatur. Nec enim auctoritate iudicis hanc ob causam matrimonium prius dissolni potest, quod virum doctissimum affirmare miror: nec fauorem ineretur, qui, vt iniuriam leviorem abstergat, alium grauiori iniuria afficit, et delictum committit.

III. Verius videtur, nec in adulterio nec in bigamia intercessionem, qua talem, poenam mitigare: sed remissioni iniuriae, cum

sum intercessione coniunctae, hic effectus tribuendus est, unde et intercessio aliarum personarum, quibus iniuria facta non est, omni effectu destituitur. Hac remissione accedente, nec in bigamia inefficax est: sed discriumen inter adulterium et bigamiam forsan intercedit, alibi haud commemoratum. Scilicet in adulterio vulgo iniuria remissa non habetur, si coniux diuortium postulet: in bigamia contra iniuriam plene tantum remittere videtur, qui simul iuri suo, matrimonium continuandi, renunciat. Quam ob caussam nec cum GRIBNERO *l. c. pos. 54.* et BOEHMERO *ad h. a. §. 9.* secundum coniugem, modo in bona fide fuerit, excludo, nec coniugis, qui alterius redditum praecoptat, siveque satisfactioni priuatae pro parte insisit, intercessioni effectum tribuo. Quid vero obtinebit, si vterque hoc modo intercedat, dissolutionem coniugii postulans? sententiam non immutandam existimo, quum remissionem iniuriae illatae et dissolutionem matrimonii sibi haud obstat credam.

IV. Iudeis eandem quam Christianis poenam imminentem, nec rationem a BOEHMERO *ad Carpz. l. c. Obs. 1.* propositam contrarium euincere, exinde liquet, quod ius Mosaicum polygamiam permittat tantum, non praecipiat. Eum solum casum excipio, si quis propter legem Leuiratus hoc delictum committiat, legem praecipiunam, quam diuinam reputat, humanae praefferens,

V. Solam bigami confessionem crimen haud probare, sed aliunde certitudinem corporis delicti accedere debere, auctor est LEYSER *l. c. m. 16.*, et testium fidem repudiare videtur BEYER *ad h. a. pos. 13.* At sinistrae interpretationi hoc dogma anfam præbere potest, nec exceptio a regulis consuetis adest: confessio potius  
bigami

— — — — —

bigami legitima et elogium testis idonei de facto , cuius plenam notitiam habent , in bigamia idem operatur , quod in aliis delictis .

VI. Priori coniugi ius potius bigamum sibi , si velit , vindicandi communiter afferunt , BOEHMER ad h. a. §. 9. sed , ni saepius , tunc tamen regula fallere videtur , si coniux derelictus in culpa est , posteriori vero nihil imputari potest .

§. 9.

Haec pro instituti ratione sufficient : contentus ero , si superfluam operam suscepisse haud videar . A semita hucusque consuetâ nonnunquam recedere non dubitau : id vero , quod confidenter spero , nemo mihi vitio vertet , qui assertorum rationes , seposito auctoritatis praeiudicio , examinare consuevit : sed errorem quoque in indaganda veritate commissum pronus ignoscet .

P. P.

D. 24. DEC. 1786.







ULB Halle  
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft



B.I.G.

Black



16  
IO. CHRIST. ESCHENBACH,  
PROF. IVR. ET ACADEMIAE PRORECTOR,

DIES FESTOS  
NATIVITATEM  
SALVATORIS MVNDI  
IN MEMORIAM REVOCANTES  
PIE CELEBRANDOS

COMMENDAT.

IVNCTA EST  
DE POENA BIGAMIAE  
COMMENTATIO.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

